

mini servientis & tempus decem annorum insuper elapsum sit, tunc non usu etiam nostras servitutes lege introductas consumi & aboleri, inficias non imus, *argum. L. 1. ff. de Nund* prout & illas de Jure civili præscriptione etiam X. vel XX. annorum tolli posse non diffitemur, *arg. L. pen. Cod. de Servitut. licet de praxi in servitutibus discontinuis tempus immemorabile requiri videatur, argumento eorum quæ hanc in rem tradunt, Mynsing. Cent. 4. Obs. 53. Gail. Cent. 2. Obs. 66. n. 8. Juncto arg. L. 35. ff. de Reg. Jur. & favore libertatis, servitutes personarum breviori etiam temporis spatio de Moribus nostræ Germaniæ, præscribi soleant, prout v. gr. circa homines proprios in multis Germaniæ civitatibus receptum est, ut si illi Jus civitatis ibidem impetraverint, & per annum ac diem absque domini impetitione quiete permanserint, ipso jure liberi efficiantur, eorumque servitus licet legalis, alia contraria lege vel consuetudine tollatur, juxta vetus illud proverbium: Die Henne fliegt nicht über die Mauer, diversis Imperatorum Germanicorum constitutionibus etiam confirmatum, & hinc inde adhuc hodie usu receptum, teste Ordinat. Provinc. Wurtenb. Tit. vom Burger Recht. in Pr. ibi: Daß auch diejenige Manns und Frauenpersonen, so in Städten oder Flecken Burgerrecht begehren, keinen nachgehenden Leibs-Herrn haben, sondern deren ledig seyn sollen. add. Lehmann in Chron. Spir. Lib. IV. cap. 22. §. zum andern. Author Document. Rediviv. Duc. Wurtenb. pag. 921. Besold. de trib. domest. societ. specieb. Disc. 1. Cap. 6. §. 3. quo iterum atque iterum brevitatis studio B. L. remittimus, vela nunc contrahentes, & ne terminos ab initio nobis præfixos egrediamur, reliqua aliorum secundis curis relinquentes.*

T A N T U M!